



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Morib. Ignatii Loiolæ, Qvi Societatem Iesv
Fvndavit, Libri III**

Maffei, Giovanni Pietro

Dvaci, 1585

Confirmatur à Julio III. Societas. Cap. XIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44004

Confirmatur à Iulio III. Societas.

C A P . X I X .

Post hæc, Paulus III. Pontifex maximus, senio curisque confectus, è vita migrauit, comitiaq. nouo creando Pontifici, in magna studiorum ac voluntatum varietate in aliquot mēsles extracta sunt. Quo ipso tempore cum Vrbs, vt in diuturno interregno, annonæ difficultate vehementissime laboraret, nostrisq. numero in dies auctis, extrema famis adesse videretur; Ignatius cum aliorum, tum præcipue sacri Collegij Cardinalium eximiam in se suosq. benignitatē expertus est. quippe in summis occupationibus Patres augustos pia nostrorum hominum recordatio subiit: communique consilio ad eorum inopiam subleuādam non leuis pecuniæ summa ex ipso Conclavi transmissa est: enixe in primis fauente atque adiuuante Rodulpho Pio Carpensi, quem Ignatius iam ante sibi sociisque patronum ac protectorem, vt appellant, è summi Pontificis auctoritate delegerat. Ac rebus diu multumque agitatis, Pontifex deniq. declaratur Iulius, eo nomine tertius, qui quòd in Synodo Tridentina Legatus, Fabrum, Lainem, & Salmeronem Theologos Apostolicos familiariter nouerat, multaq. tum ex iis, tum ex aliis de Societatis instituto didicerat, Ignatio supplicanti multa in Societatis incrementum ac rem, admodum liberaliter tribuit. nec enim solum prioris Pontificis de ordine nostro iudicia & acta, firma rataq. voluit esse; verum etiam eundem ordinem nouis insuper ipse testimoniis atq. decretis ornauit. Cuius rei publica diplomata exstant verbis amplissimis.

Magi-